

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Crvx Pavli 2. Corinth. XII. 7. Crvx Exegetarvm

**Zeltner, Gustav Georg
Schwindel, Georg Jacob**

Altdorfii Noricorum, 1717

Pars I. Exegetica

[urn:nbn:de:bsz:31-130491](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130491)



VERBA APOSTOLICI TEXTVS
GRÆCA.

2. Corinth. XII. 7.

τῆ ὑπερβολῆ τῶν δοποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι
σκόλοψ τῆ σαρκί, ἀγγελῶ Σατανᾶ, ἵνα με κολαφίζῃ,
ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

PARS I.
EXEGETICA.

§. I.



Uam crucem fixerit σκόλοψ Pauli & Angelus
Satanæ κολαφίζων, cum antiquis Ecclesiæ Pa-
tribus, tum recentioribus Scripturæ Inter-
pretibus, in vulgus constat. Horum alij
enim de corporis doloribus, ut Augustinus;
De motibus libidinosi alij, ut Pontificij plu-
rimi; de Tentationibus alij spiritualibus, quæ tritissima est
nostrorum, & ipsius Lutheri sententia; imo etiam de appa-
ritione mali Dæmonis in terribili aliqua specie, uti Lightfoo-
tus sentit; locum hunc explicant. Nobis plerosque fluctus
movisse in simpulo videtur.

§. II.

Scilicet uti a nonnullis observatum est, vix esse dubium in
Scripturæ aliquo loco explicando grandius, quin a latere sive
in ipsa vicinia eidem solvendo par adsit responsio, ut, qui non
advertat, quid supra & infra in Sacris Literis scribatur, eum
pervertere verba DEI viventis, jam olim Hieronymi ævo
& nunc quoque affirmant Judæi, antecedentium & consequen-
tium

A 2

tium

tium sive totius sermonis, neque unius tantum capituli, sed integri sæpius Scripti Librique aut Epistolæ, præter indolem linguæ, rationem esse habendam jubentes; ita hoc quoque in loco difficili ex eodem fonte haurienda obscurius dictorum dilucidatio.

§. III.

Quo factò, sicubi solícite & circumspecte attendemus ad Epistolæ nostræ structuram, luculenter patebit, partim contentionem adversus Pseudo-Apostolos vero dignam Apostolo *ζηλοῦτε ζήλω θεῷ* 2. Corinth. XI. 2., divino motu concitatam, & de injuriis illatis non minus justam querimoniam a Paulo institui, quod inprimis ex postremorum hujus Epistolæ capitulum argumento, ac aliis insuper Epistolis, ad Galatas præsertim & ad Philippenſes, in eadem materia occupatis clarissime conspicitur.

§. IV.

Inprimis vero retrospectivè nobis erit ad præcedentis proximi capituli XI. vers. 13. 14. 15. quibus humani generis hostis atque *Ἀμαρόνων* ejusdem fit aperta mentio; non autem alii ab Apostolo, communi omnium consensu, indignantur, quam ipsimet Paulo iniquissime adversantes & petulantissime obtrectantes falsi, divinam auctoritatem mentientes, at revera Diaboli Apostoli, ejus etiam commoda corruptelis doctrinæ ac morum strenue illi promovebant, Pauli contra auctoritatem, & officii, quoungebatur, sacri dignitatem ac veritatem multis modis exagitantem famamque suggillando non sine contumelia obscurantes ac quavis occasione procaci ore impudentissime, unde & canum nomine insigniti sunt Philipp. III. 2., arrodentes.

§. V.

Hos igitur, quot antea Paulus *Ἀμαρόνους* Satanae, appellaverat, quid prohibet, quo minus & *ἄγγελος* e, usdem, quod nomen uti & Ebraeorum *מלאכי* officii esse, non naturæ, ex
*18. Al' Apostoly o' dicit: ἄγγελος Σαταναῖ, sed ἄγγελος σατανᾶ, utraque
 f. Propositionem. uti annotat Dammhauer. Hermen. 5. p. 269.*

utraque lingua constat, eosdem dicamus, aut dictos esse a Paulo affirmemus? Suppetias certe heic nobis ferunt Loca Jac. II. 25. Luc. VII. 24. ubi angeli Johannis sive ab eodem Abligati memorantur, & fortassis etiam Act. XII. 15., quæ Cameronis est sententia, de nuntio a Petro misso Angelum Petri explicantis; Luculentissime vero omnium Apoc. II. & III. quibus iteratis vicibus Angelorum Ecclesiæ fit mentio. In V. T. huc pertinent Gen. XXXII. 2. 1. Sam. XXIII. 27. maxime autem omnium Malach. III. 7. & Hagg. I. 13. quippe de ministris Verbi DEI prædicandi sub ea notione agentia. Neque est, cur a permutatione vocabulorum *Διάκονοι* & *ἄγγελοι* repentina abhorreas, cum & ipsi S. Spiritus sive Genii a *λεωτεργία* & quod *εἰς διακονίαν* sint ἀποστέλλομενοι Ebr. I. vers. ult. describantur, Judæis autem nihil frequentius sit, quam eosdem *מלאכי השרת* ut nominent, & utrumque adeo vocabulum conjungant; derivatione insuper vocabuli *מלאכים* ex Æthiopico Leeke, servavit, pondus hisce addente, hic vero promiscuo Apostoli ejusdem vocabuli usu vers. 13. 14. 15. atque 23. cap. XI. idem plane comprobante.

§. VI.

Quæ cum ita sint, & toti orationis constructioni, & Pauli intentioni ex illa patenti congruens erit, si de angelo Satanæ tanquam notissimo Corinthiis, & jam antea indigitato hoste, atque ex superioribus cognito, citra uberiores explicationem, quæ necessaria alioquin in re obscurissima fuerat, loqui eundem arbitremur; per Satanæ nimirum angelum, sive, si malis, angelum Satanam i. e. adversarium, qualis & Petrus Christo audit Matth. XVI. non malum & infernalem Genium; sed Pseud-Apostolos ejus impulsu instigatos, suæque etiam sponte malos & salutari ac sancta divina permissione Apostolo infensos intelligentes, sive unum ex illis præcipuum, ob summam & insignem præ reliquis audaciam ac dicacitatem hostili animo apud Corinthios exercitam, atque hinc κατ' ἐξουσίαν eo titulo dignum.

§. VII.

Si istud placuerit, non erit, cur numerus singularis heic
 occurrens scrupulum tibi moveat, & a sententia hac dimoveat,
 quandoquidem a Sacrae Scripturae idiomate Ebraeo Graecoque
 illud non est alienum. Exempla praebent in V. T. Loca
 Gen. II. 6. Exod. XIV. 17. Deut. XX. 19. Jes. XVI. 9. in N. T.
 Apoc. XX. Eph. VI. 11. Joh. VIII. 44. &c. ubi & alibi saepius
 ipsius diaboli vocabulo tota argelorum malorum caterva de-
 signatur. Omnium vero clarissime Locus Psalm. XXXIV. 8.
 Angelus Domini castrametatur circa eos, qui timent DEUM,
 collato Genes. XXXII. 1. & 2. Reg. VI. 17. idem confirmat
 ejusdem vocabuli usum plane simili; quibus & Glassius Gram.
 Sacr. Can. XXII. de nomine addi, si lubet, poterit.

§. VIII.

Quod si posteriorem, de uno hoste, priori sententiae praeferas,
 habebis utique ad stabiliendam illam, quae faciant, ve-
 rosimillima indicia, partim in ipsa descriptione hujus adver-
 sarii loco praesenti obviam unius cujusdam istorum Pseud-Apo-
 stolorum Satanae partes vehementius ac impudentius tuentis
 ac Paulo infestioris ausus prodentia, partim ex cap. superiori
 X. vers. 7. 10. 11. & cap. XI. 4. petenda, ubi *ἡ τὸς αὐτῶν ἐστὶ γὰρ
 ὁ ἐρχόμενος*, singularis item *ἡ*, ut in quibusd. Codd. legitur,
 atque *τοῦτ*, & similia vocabula inveniuntur, singularis ho-
 minis obrectatoris & calumniatoris Pauli non levem conje-
 cturam facientia; partim denique ex consuetudine etiam so-
 cietatum inter homines malos unum aliquem choragum ac
 ducem in re quacunq. sectantium & praecuntis vestigia pre-
 mentium firmanda ac roboranda.

§. IX.

Si jam porro instabis, & quis iste fuerit, ut indicemus,
 urgebis, non opus esse, ut nominatim is designetur, respon-
 debimus: posteaquam & ipse Apostolus in hac Epistola ho-
 stium suorum nomina explicare noluit. Sin haec tibi sufficient,
 Hyme-

Hymenæum habeto ac Philetum nobile par impostorum alibi quoque male audientium, quorum alterutrum Corinthios sua de resurrectione mortuorum jam dudum facta, doctrina decipisse, & animos nonnullorum ibidem occupavisse ex 2. Tim. II. 17. 18. atque 1. Corinth. XV. 12. dispalescit. Inter hos porro Hymenæi præ Phileto præcipuas fuisse partes in Pauli obtrectationibus ex eo colligere est, quod isti soli cum Alexandro blasphemia tribuitur, atque tum ob hæc tum vero etiam alia scelera enormia ab eodem Apostolo justa exclusionis ex Ecclesia cum consequente majori dæmonis in ipsum potestate, poena (qui virga Apostolica alias Paulo dicitur rigor) decreta fuit, sicuti ex 1. Tim. I. vers. penult. apparet.

§. X.

Si vero is tibi displiceat, quemadmodum nec mihi satis, ut, quod res est, dicam, ea probatur conjectura, alius nobis suppetet, idemque dicacitate ac maledicentia adversus Apostolum longe petulantior Alexander nim. *Χαλκείος*, Faber ærarius, de quo singulariter conquerendi causa Paulo oblata & vel e vinculis Timotheo perscribenda fuerat, tum doloris egerendi ab Apostolo, tum etiam discipuli hujus ab homine nequam amplius præmonendi gratia. Ecce enim, quæ de eodem 2. Timoth. IV. habentur verba: Alexander Faber ærarius, inquit, multa mihi mala exhibuit, reddat ei Dominus secundum facta ipsius, quem & tu cave, vehementer enim restitit sermonibus (forte & reddi poterat rebus, negotiis) nostris. Dignus certe hic mihi præ ceteris videtur, qui Angeli Satanæ optimo jure, potius certe quam alij, nomen gerat. Utrum vero idem ille sit Alexander, quem ut causam diceret suam, propulerunt in concionem profusam Judæi Ephesini, Act. XIX., ut (quod conjectant aliqui) tanquam a Christianis Apostata & ad Judæos regressus in Paulum culpam omnis motus derivaret, & orti tumultus causam a Judæis depelleret, sua, quod putatur, facundia ad alios deinde

inde etiam corrupendos adhibita, alii dispiciant. Nobis Epistolæ ad Timoth. inhærere fatius videtur ac tutius. Romam certe venisse eum, de quo nobis sermo est, Alexandrum, & Apostolo injuriis ibi non minus quam alibi adversatum, ac post effusas calumnias in Asiam rediisse, ut Timotheus vel hinc ab eo de novo monendus fuerit ut sibi caveret, Johannis Clerici in Additionibus ad Hammondum est conjectura, cui locus Paulinus & verba Apostoli egregie prælucent. Hunc itaque si angelum Satanæ dicamus fuisse, quid contra excipi possit, videbimus.

§. XI.

Verum scrupulus forte male te habebit, quomodo nimirum ad Corinthios referri hæc queant aut quadrent, cum Ephesi potius & in Asia Alexandrum calumniatorem Pauli vixisse Ecclesiamque DEI turbasse, ex rationibus Timothei, aliisque circumstantiis, præsertim si huc pertineat locus Act. XIX. citatus, confici possit? Enimvero facile is tolli videtur e medio posse, quando nim. ad oberrationes primum attenderis & vagos verorum etiam Apostolorum eorundemque Comitum, ut Apollinis, Aquilæ, Titi, Silæ circuitus, in quibus & Pseud-Apostolos habuisse illos imitatores, itineribus nempe hinc illinc pariter susceptis, sive scriptis etiam literis 2. Thess. II. v. 1. bonam causam odiose traducentes ac sufflaminantes, nihil dubitamus; testibus insuper utaris prope omnibus Pauli, ple-risque certe, Epistolis, ad Ecclesias longius distitas, e. g. Galaticam & Achaicas datis eandem querelam ingeminantibus, quibus omnibus locorum intervalla & alia incommoda amplius non obstant, cum Epheso præsertim Corinthum transfretare, tanquam in Emporium totius Græciæ nobilissimum, res fuerit frequentissima, & a vago Judæorum genio minime aliena. Quæ cum ita sint, multo magis insuper credibile est, hunc in Epistola nostra ad Corinth. designari Alexandrum Satanæ Apostolum, cum & Romam eundem ut ægre faceret Paulo

post

post censuram Apostolicam a malo demone magis magisque exagitatam, concessisse, non spernenda conjectura antea fuerit adducta, ac præterea Timotheo indivulso Pauli, etiam in Corinthiaca Ecclesia plantanda adjutori, præter reliquos id genus impostores hic notissimus nova cautela fuerit notandus, quippe non dissimiles insidias & discipulo paraturus, postquam adversus captivum amplius proficere Præceptorem parum poterat. Illud denique inter præcipua numero, quod cum Paulus in ipso 2. Corinth. XII. & seq. cap. censuram in Ecclesia summam adversus suos & Ecclesie hostes, divinæ veritatis ac nominis vindicandi causa se stringere velle minetur, atque, nisi desistant, in eo se esse, ut expediat, affirmet sæpius, postea, mora nempe & patientia interveniente diuturna a Deo ipsi Paulo deprecanti eousque commendata, expeditam illam legimus in hunc ipsum Alexandrum Hymenæi in crimine socium sive hic sive alibi pariter delinquentem; unde colligi posse videtur ob graviores motus & proccitatem oris in Ecclesia Corinthiaca præsertim supra modum petulanti illud huic tanquam eximio diaboli Angelo sive Legato tandem, longanimitatis divinæ termino præterjapso, contigisse.

§. XII.

Id ipsam probabiliter insuper reddit delicti ab Alexandro admissi generaliter tantum 2. Tim. IV. 1. s. c. sed 1. Tim. I. distincte & explanate expressi, ratio, blasphemie nomen (ut dediscant *βλασφημεῖν*, ait Apostolus) ferens. Etenim cum Græci, eam notionem univèrsè usurpantes non tantum utantur illa ad denotanda maledicta DEO Christoque ac veræ religioni injuria, imo etiam, quando hoc sensu adhibent, plerumque divinum nomen addant, vid. Rom. II. 24. 1. Corinth. VI. 1. Tit. II. 1. Jac. II. 7. &c. sed etiam de verbis dictisque contumeliosis, quibus aliorum hominum existimationi detrahi-

trahitur, vid. Tit. III. 2. (μηδὲνα βλασφημῶν) 1. Corinth. IV. v. 14. (βλασφημῶμενοι ὡς ἀκαλῶμεν) quibus facile ex Isocrate, Demosthene, Luciano, Herodiano &c. alia adjici possent, si opus foret; hinc colligimus ob probra, convitia, & ut mox ostendemus, impudentius collatos κολαφισμῶς eundem Alexandrum cum sceleris complice alibi fortassis peccante demoni fuisse traditum redditumque quasi suo domino Legatum sive ἀγγελον ἀγγέλω gravius & notabilius exagitantum, idemque legitima de causa, ne in re domestica affectui suo indulgisse videatur Paulus, nempe κατενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν χειρῶν εἰς ἰκσοδομήν καὶ εἰς καθάρσειν, uti 2. Corinth. XII. 19. & XIII. 10. legimus, quæ loca cum 1. Tim. I. vers. ult. optime conveniunt.

§. XIII.

Cui sententiæ ut etiam apud Antiquos aliquod pretium statutum videas, Johannis Chrysostomi verba, quibus aliquid illi suboluisse hac de re videtur innui, mihi certe uberius cogitandi de his causa est, suppeditata, adjiciemus; Habentur ea Homil. 26. in 2. Corinth. XI. digna sane, quæ integra adscribantur: Ἄγγελοι Σατᾶν λέγει Ἀλέξανδρον τον χαλκῆα, τὸς ἀεὶ ἡμένον, καὶ Φιλητὸν, πάντας τὸς ἀντικειμένους τῷ λόγῳ, τὸς φιλονεκῆντας αὐτῷ καὶ πολεμῆντας, τὸς ἐμβάλλοιτας εἰς δεσμοθήρα, τὸς δέροτας, τὸς ἀπάγοιτας, ἐπειδὴν τὰ τοῦ Σατανᾶ ἐπεσῆτον. ὡς περ ἐν οὐκὶς Διὰ βολῆ καλεῖ τὸς ἰσθῆντας ἐκεῖνος ζηλῆντας, ἕτω καὶ ἀγγελοὶ Σατᾶν ἅπαντα τὸν ἀληπίπτοια. i. e. Per angelum Satana Alexandrum erarium, Hymenæum, Philetum, ac deniq; omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, atq; cum ipso contendebant ac bellum gerebant, cumq; in vincula conjiciebant, cadebant ac raptabant, intelligit: quod videlicet ea, quæ satana erant, perpetrarent. Quemadmodum igitur Judeos Diaboli filios vocat, quod illius opera imitarentur: Sic etiam Satana Angelum omnes eos nuncupat, qui fidei doctrinæ resistunt. Hæc Chrysostomus digito quasi attingens, quæ nobis visa sunt communistranda plenius & pluribus.

§. XIV.

§. XIV.

Neque obstat huic interpretationi σκόλοπος vocabulum, quo suam hic Paulo afflictionem insignire placuit. Non enim proprie aliud quiddam illud notat, quam, ut Hesychius & Suidas explicant, ξύλοι ἄξυ, sive lignum, sudem aut palum præacutum, quanquam & de minoribus assulis, aculeis, furculis & spiculis ex sagittis præsertim in vulnere relictis, usurpari constet; At propriam hanc & nativam hic notionem locum habere nemo dixerit, cum translate & per similitudinem ad ærumnam isthanc ac dolorem, de quo Paulus agit, applicari, clare satis ex ipsa re pateat; unde & vulgarium sententiarum patroni a nativo illo sensu omnes recessere, nisi quod pali per corpus adacti, quod supplicii genus est atrocissimum, rationem, per similitudinem tamen pariter, respexisse videatur Lutherus; ut adeo non tam significationem translata[m] hoc in loco habere locum nobis incumbat probandum, quam qualis ea sit, & quæ sit usitatio sacris partim, partim & profanis scriptoribus græcis atque argumento præsentis accommodatior, ostendamus.

§. XV.

Ubi quidem generalis maxime omnium placet metaphora, qua in universum omnes persecutiones, injurias, contumeliasque & opprobria vox illa signat, teli scilicet instar, aut aculei venenati extrinsecus impacti, sed carni tamen penitus cum dolore gravissimo consequente infixi, habentia; Ita enim in ipsa græcitate Patres Ecclesiæ educati nos docent, quando e. gr. Chrysostomus Homil. XIV. ad Rom. κυνδύους pericula Apostolum vocare Σκόλοπα existimat, Theodoretus vero πανταπάς πειρασμός, τὰς ὑβρεις, καὶ τὰς παρανομίας, καὶ τὰς τῶν δημῶν ἀνάσσεις ad L. 2. Corinth. XII. observat intelligi. Photius denique apud Oecumenium ad eund. loc. Σκόλοψ, ait, sunt πειρασμοὶ καὶ θλίψεις ἕς αὐτὰ οἱ ὑποτρεψόμενοι τῷ ἀντικειμένῳ Δαίμονι ἐπέφερον; quibus & Suicerus Athanasium denique eadem

sentientem quæst. XIX. de parab. script. cap. 2. addit. Ex N. T. nostrum esset hæc itidem confirmare ulterius, sed cum vox illa nusquam exstet amplius his Catonibus linguæ suæ satis gnaris contenti erimus.

§. XVI.

Atque hinc cum ita hæc esse nihil dubii superfit, illud tantum superest, ut discipiamus, utrum notio particularis magis apud Græcos occurrat, quæ lucem aliquam nostro loco affundere possit: Ubi primum quidem & commode satis occurrit significatus, quo cum crucis vocabulo quasi synonymum illud subinde permutatur; Ita non modo apud Lucianum Dialogo de Morte Peregr. Iesum nostrum *τὸν ἐν τῇ παλαιῇ σίνῃ ἀνασκολοπιθέντα* & *ἀνασκολοπισμένο*, per contumeliam vocari legimus, & ap. Celsum maledicentissimum christiani nominis infectatorem, uti olim a Judæis factitatum, debuisse Christum, *εἰς Ἰπιδείην θεότητος* & *ἀπὸ τῆς σκόλοπος* εὐθύς ἀφανῆ γενέσθαι, affirmatur, ne quid de Eusebio ac Chrysostomo dicamus ad designandum Petri supplicium cruci suffixi eadem voce *ἀνασκολοπιθῆναι* usis; Sed etiam inter synonyma hujus vocis *σκόλοπος* vocabulum *σταυρῶ* ab Hesychio in Lexico numeratur. Jam vero constat inter omnes crucem in Scripturis N. T. pro gravissima afflictione ea præsertim quæ perfertur pro nomine Christi accipi solere. Conf. Matth. X. 38. Marc. X. 21. Luc. IX. 23. & XIV. 27., a qua notione ne quidem Comici Latini Plautus in Aulul. Act. III. sc. V. & Terentius in Eunuch. Act. II. sc. 3. (qui & homines, meretrices, cruces appellat,) ac Columella denique L. I. c. 2. abstinuerunt. Quid proinde obstat, quo minus & hic per *σκόλοπα*, eo sensu, intelligamus, non nisi notabilem & Paulum insigniter cruciantem afflictionem ac hominem adversarium illum excruciantem, quam crucem salutari consilio aliquandiu eidem imposuerit Summum Numen portandam: Id quod tanto magis in Apostolum notum

strum convent, quandoquidem & alias ærumnas atque calamitates suas crucis Christi titulo describere consuevit, immo de solo etiam Christi cruce gloriari se posse ac velle Gal. VI. constanter asseveravit, & τὸ ἀναπληρῆσαι τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων ἔχεις ἐν τῇ σαρκί σου κ. τ. λ. Colofs. I. 24. non postremam officii sui atque gaudii etiam partem esse perhibuit.

§. XVII.

Sed forte alia adhuc via calcanda nobis aperitur, quæ, ut illa criticis, ita hæc desiderijs aliorum simplicius satisfaciatur. Ea nimirum citra ambages per ipsius Spiritus S. phrasin in V. T. usurpatam panditur, qua nimirum afflictiones hominum extrinsecus illatas, & ab hostibus dictis factisque cumulas hoc nomine, spinarum & aculeorum, vocari observavimus gemino ap. Prophetam Ezechielem loco. Horum enim altero cap. XXIIII. 24. præmissis de Tyriorum & Zidoniorum excidio vaticiniis, illud insuper ex eo Israëuitarum bono consecuturum esse beneficium perhibetur, ut neque aculeus rodens neque spina dolorem excitans סלון ממאיר וקוץ מכאיב premantur ac infestentur amplius, qualia antehac mala diutissime & ignominiosissime passi fuerant; qui locus tantopere eum nostro Paulino conspirat eumque illustrat, ut & ipsa vox Σκόλοπ a LXX. vulgo sic dictis in interpretatione, quæ superest, legatur adhibita, usum scilicet inter Judæos Græcæ Linguae gnaros hujus vocis eo, quem diximus, sensu confirmans. Eam verò sententiam adhuc efficacius stabilire videtur, & lucem Apostoli querelæ affundere, quod adhuc clarius eidem Prophetæ cap. II. 6. non imparia a suis perpeffo ludibria ac opprobria auditores futuri improbi circa initia statim officii eodem nomine סלני & סרבי seu refractariorum & aculeorum titulo describantur. Quæ, si ad similia Pauli in officio Apostolico fata & sine prorsus eodem ad perdomandam corruptæ mentis (τῆς σαρκὸς) proclivitatem ab auditoribus &

hostibus apertis illata & a Deo destinata applices, jam citra difficultates res erit plane ex parallelismo confecta.

§. XVIII.

Unum igitur superest, quemadmodum nempe τὸ κολαφίζεν denique, quod novissime τῷ ἀγγέλῳ Satanæ suo Paulus tribuit, cum prioribus congruat. Enimvero nulla difficultas in ea voce quoque hæret, dummodo & illius notionem, uti ex lingua Latina originem habet, probe intelligamus, neque ad ejus proprium significatum, quem probe nullus alterius interpretationis auctor urget, anxie respiciamus. Proinde, ut Σκίλοις omnis generis afflictiones & ærumnosas ac dolorem creantes persecutiones ac injurias notabat, ita τὸ κολαφίζεν multifarias ignominias & contumeliosiores tractandi rationes signare certum est; sicuti idem prorsus vocabulum I. Cor. IV. 11. usurpatum Chrysostomus ad nostrum locum per ἐπιφραζέσθαι τῶν ἐχθρῶν explicat & vaticinium de Tribuum Israël oppressionem eadem phrasi Hebræa descripta ignominiosâ Mich. V, 1. ulterius confirmat; quibus & nostræ Epistolæ cap. XI. 20. atque Christi ipsius Passionis historia, ubi quicquid colaphorum ipsi impactum est, in ignominiam & derisionem valebat, accedit, & I. Petr. II. 20. pari modo ea vox adhibita considerationem meretur; ne quid de servis dicam colaphis a Dominis suis cæsis signo servitutis apud Antiquos certissimo & fornicis veterum, ubi, si dormientes sibi videbantur aliis colaphos impingere imperium illis Onirocritæ pollicebantur, quæ apud Senecam de Ludo Claudii & Artemidorum in Onirocriticis Lib. II. cap. 15. videre licet, iisdemque hujus Commentator Rigaltius & Comici passim adponi merentur.

§. XIX.

Res itaq; transacta est, neq; quicquam restat, nisi sola connectio cum præcedentibus, quam frequentissima omnium particula

cula καὶ & hoc loco præstat, nobis nihil negotii faceffens; uti enim ea & apud Ebræos & Græcos etiam, præfertim in N. T. sæpissime istorum linguam imitantes Protheum quasi particularum omnium agit: ita hic quoque facilis erit conjunctionis ex hac conjunctione medela. Etenim ut alioqui vulgariter copulat sententias, ita hic insuper posterioribus priora explanat, & quasi per correctionem dilucidius exponit, quem significatum Latini per immo, vel immo vero exprimere consueverunt, voce ut plurimum & pronunciatione sensum uberiorius declarante. Idque ingenti exemplorum cumulo ex Ebræa Lingua e V. T. probatum dedit B. Noldius, ex quo nonnisi Num. XIV. 23. Jes. XXX. 14. & Zach. XIV. 13. repetemus; ex N. vero T. clariora loca Joh. IV. 23. V. 25. XVI. 32. Act. VII. 43. Rom. V. 2. 2. Joh. vers. 10. adjiciemus. Hanc, si quis cum coherentibus hoc loco verbis antecedentibus, notionem considerare velit, & postquam de periculo, ne quis alius forte plus justo se Paulum aestimet, sollicitè monuerat, eundem, ne ipse sibi nimium placeret, DEUM curasse observet Paulum docere, jam facile cognoscet hac vocula rem omnem in aprico quasi positam esse.

§. XX.

Ut tamen Apostoli sententia integra brevi quasi idea exhibeatur clarissime, verba omnia, quæ coherent, ita lubet *De hoc (miræ revelationis fato) gloriabor; de me ipso vero (nomen enim suum reticuerat) nolo gloriari, nisi forte de imbecillitatibus meis; quanquam si gloriari de me animus esset, non forem amens, vera enim ut quæ dicerem: Sed parco (& mihi & aliis) ne quis plus quam par est, ac supra ea, quæ in me conspicit atque audit, de me sentiat. Immo vero (ob hoc ipsum) ne scilicet (etiam magnificentius dum alii de me sentiunt) eximiis hisce revelationibus superbiam & me efferam, infixus est carni mea (corruptæ ac proclivi ad arrogantiam) aculeus,*
puta

puta Legatus Ille Satan (Alexander Faber , quem nostis , & de quo ac sociorum calumniis , quibus me excruciant , antea pluribus scripseram) *ut me quasi colaphis cadendo ignominiosissime tractet* (spernat & quovis modo deprimat) *propterea etiam iterum iterumq̄ , rogans Dominum , ut a me desisteret* (sive Dominus ipse , sive hostis obtrectator) *responsi loco tuli , sufficere mihi (interim) debere gratiam in infirmis multo magis elucescentem . Gloriabor igitur potius in his afflictionibus meis &c .* Quæ enim sequuntur reliqua ad eosdem Pseudò - Apostolos eorumque in Pauli injurias amplius pertinent , & de iisdem hic quoque sermonem fuisse cum ceteris confirmant . Ita putamus fixam hoc loco Exegetis crucem pro virili esse refixam .

PARS II. PRACTICA ET PORISMATICA.

Scilicet , uti tota Scriptura , ita hæc quoque ejusdem pars haud postrema , ipso Paulo 2. Tim. III. & Rom. XV. teste,
Utilis est

I.

Ad Διδασκαλίαν : Docet enim

1. Quantum sit Mali Dæmonis in Ecclesiam Christi odium & quam innumerabiles ejusdem in cœlesti veritate impedienda fraudes τῶν μυσιοτεχνίτων , non tantum per se , sed & per alios , quos ideo Apoc. XII. 7. 8. 9. Dragonis Angelos , (sive cohortem Dæmonum reliquorum intelligas , sive homines ejus causam agentes) appellat Spiritus S. Unde & observatum est , præstantissimos Ecclesiæ Dd. suos quasi , eodem auctore , habuisse adversarios proprios , Petrus Simonem Magum ,
Paulus